

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis
Farrago**

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

De Demosthene in scholis praesegendo admonitio

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

De Demosthene in Scholis prælegendo admonitio.

Toties admono, ad iudicandum de genere sermonis opus esse cognitione bonorum scriptorum, & quadam mediocri exercitatione scribendi. Est & eloquentia opus in Republica: & artes sine linguarum cognitione nullum lumen habent. Quare ex Grecis auctoribus Demosthenem potissimum uolui scholasticis in manibus esse, quod ex eo non solum lingua discitur: sed etiam ipsius dispositio, figura orationis, inuentio, consilia in dicendo, ualde acuum lectorem. Multa etiam ab eo ornamenta ad nostras materias transferri possunt. Denique in schola publica nullum esse locum Demostheni, admodum turpe uidetur. Sed ualde reprehendenda est negligentia scholasticorum nostrorum. Quotus quisque iam Græcè discit, aut suscipit præstantes auctores? Rari studia uerè amant. Magna pars putat qualemcunque doctrine opinionem sufficere: quo errore nihil est perniciosius. Nondum tamen indico consilium de enarrando Demosthene. Quare hodie inchoabo enarrationem orationis περὶ ἡγεμονίας: ad quam audiendam si conuenerint studiosi frequentius, pergam libentius. Certè Reipublicæ causa hunc laborem suscipio, & notos esse hos auctores,

res, propter multas gravissimas causas prodest.
29 Augusti, Anno 1538.

Oratio à M. Marcello habita, cùm ei gra-
dus magisterij decerneretur: De
necessitate Stoica, di-
sputatio.

Cùm pro eximia humanitate uestra, ornatissimi viri, honoris nostri causa hic conueneritis: peto à uobis, ut ad id beneficium, hoc quoque addatis, ne me ingenij fiducia potius quàm officio adductum, has dicendi partes suscepisse existimetis.

Deinde ut iuuenilem orationem boni consulatis. neque enim tam ridiculè ineptus sum, ut confidam me in hac et ingenij et atatis imbecillitate quicquam adferre posse dignum uestris auribus. Tantum officium meum probari uobis opto. Nihil enim ab incunte etate mihi prius ac potius fuit, quàm ut præceptorum auctoritati religiosè parerem. Eamque laudem non minus quàm doctrinæ expectendam bonis mentibus existimaui. Nec uerò dubito, quum et uos pro excellenti sapientia uestra, magis à nobis diligentiam in officio, quàm eloquentiam requiratis, quæ ne mediocris quidem in adulescente existere potest. Mihi uerò, etiamsi has cõmunes literas utcūque gustauim, tamen aliqua ex parte et natura repugnat. Itaque cùm alij hic enco-